



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

31. An milites teneantur cum vitæ periculo non deserere arces, & stationem, alias obligentur amnia damna inde provenientia reparare? Et an possint relinquere castra sine lethali crimine? Et an non ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

quæ tunc pertinet ad Principem, cuius est liberalitatem suam capientibus exhibere, vt per Boer. *decif. Burdegal, quæst. 178. incip. an licitum, col. 1.* Et refert in suo Senatu in facti contingentia fuisse decretum. Aut enim Rebuffus hoc calu regulandum esse pretium redemptionis ex qualitate & diuitiis personæ captæ. Ex quo satis colligitur milites capientes posse cogi à iudicibus exercitus pro pretio sic regulato captum relaxare, etiam si nolint, nec posse stringere huiusmodi captos, vt sibi seruitutem seruiant: cum non sint serui; sed interim detenti quousque se redimant. Quamuis autem hæc Doctorum traditio, quod Christiani in bello capti à Christianis teneantur se redimere, & possit licite pretium recipi iure belli, vt ipsi dicunt: Ego nunquam tale ius belli inueni in legibus Cæsareis nec ipsi allegant. Vnde intelligo de iure consuetudinario in bellis Christianorum id fieri; quæ consuetudo non est improbanda, quia inuenta ad euitandum maius malum; vt milites allesti spe pretij captiuorum, potius eos seruent, quàm interficiant. Hucusque Aluarus Valafcus.

2. Sed aduersus Lusitanum alius Lusitanus insurgit, & is est Benedictus Agidius in *l. ex hoc iure, ff. de iust. & iur. part. 1. cap. 1. num. 7.* vbi sic ait. Secundum aliquos sic capti retineri solent, & præstita pecunia dimitti: quod ius consuetudine defendit Valafcus, vt etiam secundum illud pro promisso redemptionis pretio conueniri possint coram iudice, qui capti fuerunt. Mihi quidem probabile non videtur ex promissione tali actionem oriri, quando captus ob hoc ipsum captus proponeretur: vt redemptionis suæ pretium daret. Etenim secundum prædictam consuetudinem cum communi Doctorem traditione capientis non fit, nec hoc ius captura & retentionis ob pretium redemptionis extra seruitutis casum in legibus Cæsareis inuenitur, vt idem Valafcus fatetur. Vnde redemptionis promissio tanquam sine iure, & contra bonos mores extortita in prædicto casu non valitura videtur. Si verò captus esset maioris damni & periculi euitandi causa, videlicet vt ab aliorum militum impetu, & strage seruetur, tunc non vt redemptionis pretium, sed vt custodia, ac tutelæ merces pecunia recipi, & exigi poterit, quo casu Valafci sententiam probat. Ita Benedictus Agidius.

3. Verum ego sententiæ Valafci affirmatiuæ libenter adhaereo: & ratio est quia in poenam iniusti belli, & iniusti periculi, in quod victorem iniecit, potest ab eo exigi vis argenti: at dum debitor non soluit, licite retinetur in vinculis à creditore auctoritate iudicis. Item poterat licita morte puniri, quam pretio redimendam vult victor. At non propterea Christiani sic capti sunt mancipia: sunt enim sui iuris, & possunt celebrare contractus: parum enim differunt à carceratis propter æs alienum. Et ita ex his rationibus nobis adhæret Hurtadus de Mendoza de *fide volum. 2. disp. 169. sect. 11. §. 105.* qui testatur de communi ferè sententia, quam nouissimè sequitur etiam Agidius Trullench in *præcept. Decalogi tom. 1. lib. 5. cap. 2. num. 12.*

RESOL. XXXI.

An Milites teneantur cum vite periculo non deserere arcem, & stationem, aliàs obligentur damna inde prouenientia reparare?

Et an possint relinquere castra sine lesali crimine?

Et an non expedit, vt Duces faciles sint in concedenda licentia Militibus discedendi, &c? Ex p. 6. tr. 4. Ref. 25.

§. 1. **A**D primum respondeo affirmatiuè. Tenentur enim defendere arcem, & locum ubi prouenientia reparare; & capitis poena placetur ex leg. 3. ff. ad legem Iuliam. Sed hoc limitatur, si forte nulla esset spes proualendi: nam in tali casu non tenentur mortem expectare: quia esset frivola & inutilis talis expectatio. Et ita docet Becanus in 2. 2. cap. 25. *quæst. 15. num. 1.* Caltrus Paulus tom. 1. tract. 6. *disputat. 5. punct. 5. num. 4.* Coninch. *disputatione 31. de Bello, dub. 7. num. 57.* & alij.

2. Quoad secundum, respondeo cum Molina tom. 1. tractat. 2. *disputat. 116.* Quod miles relinquere non potest castra sine Ducis, aut Principis facultate: idque eò magis, quod plus imminet prælium, pluraque ei indiget Dux aut Princeps. Præsertim cum si castra deserant, Respublica & exercitus periclitentur; victoria anceps futura sit, aut nulla, sumptuque ingentes belli inanes reddantur: quæ omnia attendere debent Confessarij Militum. Cum verò tot & tam ingentia mala ex desertione Castrorum sine Ducis, aut Principis facultate eveniant, mirandum non est, si eiusmodi culpa capitis poena, vel additione ad trirèmes interdum placatur. *cap. infames 6. quæst. 1.* eiusmodi homines inter infames reputantur: & leg. omne, §. qui in facie ff. de re militari, capite plectebantur si in conspectu aliorum militum castra desererant. Vtrumque affirmat Gloss. *cap. ne militare, dist. 1. verb. deserant.* Neque cum dispendio Republicæ & Principis expedit, vt duces faciles sint in concedenda facultate discedendi, præsertim quando milites valde necessarii sunt. Merito quoque esse debent, quot sumptus cum illis fecerit Princeps in ipsis perducendis; & quanta cum populorum vexatione in itinere, & dum vocabantur, fuerint hostipitio excepti: neque expedire, vt iterum alij similes lumpus fiant, & alia vexatio detur in eisdem, aut aliis perducendis.

3. Ex alia tamen parte quando Respublica non multum eorum indiget ministerio, vel vigenti causa se offert; esse non debent admodum difficiles ad concedendam reuerti facultatem, ne difficultas eorum obtinendi occasio sit, ne milites ad bellum relinquantur. Iam verò quod Princeps milites dimittat, quando eis non indiget, vt quando sibi placet, integrum militibus non facit, vt discedant quando voluerint. Quoniam ea lege, eòve tacito pacto ad bellum conducuntur, vt integrum Principi sit illos reliquere, quando eis non indigerit: ipsis verò licitum non fit recedere absque Principis facultate. Ex damno vero & periculo, quod spectatis circumstantiis imminet, ex eo, quod Milites absque facultate castra deserant, & ex poena statuta, ac rigore, quo executioni mandatur, iudicandum est, an in desertione Castrorum absque Ducis aut Principis facultate lesale crimen admittatur. Vide *capit. infames 6. quæst. 1. & leg. omne ff. de re militari.*

RESOL. XXXII.

An Principes possint concedere repræsentas, maxime concurrentibus sex conditionibus? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 72.

§. 1. **H**ic casus frequenter accidit, vt si, v. g. vitæ victoria de iure belli, num. 41. Galli milites fecerint prædas in agrum Hispanorum, vel è castris, & Rex Francorum nolit cogere illos ad restitutionem cum possit, & possunt Hispani auertere Principis spoliare